Nicolaus episcopus servus servorum dei Dilecte in Christo filie Johanne de Biure Priorisse Monasterij de Sixena hospitalis
sancti Johannis Jerlimitan Ilerden dioc Salt et apostolicam ben. Ex suscepte servitutis officio ad ea libenter intendimus per que Monasterijs vacantibus ne in spiritualibus vel temporalibus detrimenta su-
stineant de salubris provisionis remedio celeriter consulatur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat quod olim Monasterio de Sixena hospitalis sancti Johannis Jerlimitan Ilerden dioc
cui quondam Beatrix Cornelli illius Priorissa dum viveret presidebat per obitum eiusdem Beatricis que extra Romanam Curiam diem clausit extremum vacante dilecte in Christo filie Conventus dicti
Monasterij seu maior pars earundem pro electione future inibi Priorisse celebranda vocatis omnibus que voluerunt debuerunt et potuerunt electioni huiusmodi comode interesse die ad eligendum prefixa ut moris
est convenientes in unum te que ordinem per Moniales hospitalis huiusmodi professionem emitti solitam sponte emiseras ac in etate legitima constituta existis in earum in dicti Monasterij Priorissam concordi-
ter elegerunt tuque electioni huiusmodi et illis tibi presentato decreto consentiens eam a dilecto filio Castellano Castellanie Emposte hospitalis eiusdem Dertusen dioc seu eius locumtenente ut de more existit con-
firmari obtinuisti in hijs omnibus statutis et consuetudinibus ac fundationibus dicti Monasterij observatis quarum electionis et confirmationis obtentu pacificam possessionem vel quasi regiminis et administrationis
bonorum dicti Monasterij assecuta fuisti illique extunc laudabiliter prefuisti prout preesse dinosceris de presenti. Cum autem sicut eadem petitio subiungebat tu dubites electionem et confirmationem predictas ex eo quia
quotienscumque Priorisatus huiusmodi per cessum vel decessum dicte Beatricis vacare contingeret dispositioni apostolice specialiter reservato assecuntur ac ex alijs certis causis viribus non subsistere. Nos electionem et confir-
mationem predictas ratas habentes et gratas ac illas necnon inde secuta quecumque auctoritate apostolica et ex certa scientia confirmantes et approbantes ac omnes et singulos defectus siqui forsan intervenerint in eisdem
supplentesque de religionis zelo vite mundicia honestate morum spiritualium providentia et temporalium circumspectione alijsque virtutum meritis apud nos fidedignorum multipliciter comendantes de persona tua prefato Mo-
nasterio cuius Priorisatus fructus redditus et proventus Ducentarum librarum Jacen secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt ut asseris sive ut premittitur sive alias quovis modo aut ex
alterius cuiuscumque persona vacet et ex quavis causa eius provisio ad sedem apostolicam specialiter vel generaliter pertineat aut Priorisatus huiusmodi quam primum per cessum vel decessum dicte Beatricis vacare con-
tingeret etiam specialiter dispositioni apostolice reservatus existat pro potioris cautele suffragio providemus teque Monasterio huiusmodi in Priorissam preficimus curam regimen et administrationem dicti
Monasterij in spiritualibus et temporalibus plenarie comittendo. Mandantes venerabilibus fratribus Zamoren et Oscen Episcopis ac dilecto filio Priori ecclesie beate Marie de Barbastro Oscen
dioc quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios tibi efficacis defensionis presidio assistentes non permittant te super eodem Monasterio seu illius regimine et administratione quomodolibet
molestari faciantque tibi a prefatis Conventu obedientiam et reverentiam necnon a dilectis filijs vasallis ac alijs subditis dicti Monasterij consueta servitia et iura exhiberi ac pacifice dicti Monasterij
possessione gaudere. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac specialibus reservationibus ante vaca-
tionem dicti Monasterij per nos factis necnon privilegijs usibus naturis et consuetudinibus statutis et stabilimentis dicti hospitalis iuramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate robo-
ratis quibus omnibus ac reservationi huiusmodi necnon litteris apostolicis super inde confectis etiam si de illis ac eorum totis totis tenoribus specialem et expressam de verbo ad verbum oporteret facere men-
tionem ceterisque contrarijs quibuscumque aut si Conventui subditis et vasallis predictis vel quibusvis alijs communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excomunicari non
possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et insuper exnunc irritum decernimus et inane si secus super hijs a quoquam quavis
auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis approbationis supplectionis
collationis provisionis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius
se noverit incursurum. Dat. Rome apud Sanctumpetrum Anno incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoquinquagesimo. Tertio Id. Martij Pontificatus nostri Anno Quarto.

L f

P. Poggio

L. de Cosciaris

30/1

1450-3-13

Bula de Nicolao 5. en que confirma en Priora a Da. Juana de Buxe: que dudaba del valor de su eleccion; por averse reservado el Papa la nominacion de Priora, para quando muriese Da. Beatriz Cornel.

23

R S

In Camera Aptica

Consens

Confirmación de priora del Papa Niclao 5 n. 62

70.

F.4.